

Ita undique regi dolus nectitur. Romulus, non cum globo juvenum (nec enim erat ad vim apertam par), sed aliis alio itinere jussis certo tempore ad regiam venire pastoriibus, ad regem impetum facit: et a domo Numitoris alia comparata manu adjuvat Remus. Ita regem obtruncant.

### CAPUT VI.

Numitor, inter primum tumultum hostes invasisse urbem atque adortos regiam dictitans, quum pubem Albaniam in arcem praesidio armisque obtinendam avocasset; postquam juvenes, perpetrata caede, pergere ad se gratulantes vident, extemplo advocato concilio, scelera in se fratris, originem nepotum, ut geniti, ut educati, ut cogniti essent, caudem deinceps tyranni, seque ejus auctorem ostendit. Juvenes, per medium concessionem agmine ingressi, quum avum regem salutassent, secuta ex omni multitudine consentiens vox ratum nomen imperiumque regi efficit. Ita Numitori Albana permissa re, Romulum Remumque cupido cepit, in iis locis, ubi expositi, ubique educati erant, urbis condendae. Et supererat multitudo Albanorum Latinorumque: ad id pastores quoque accesserant, qui omnes facile spem facerent, parvam Albam, parvum Lavinium pree ea urbe, quae conderetur, fore. Intervenit deinde his cogitationibus avitum malum, regni cupido, atque inde foedum certamen coortum a satis miti principio. Quoniam gemini essent, nec aetatis verecundia discrimin facere posset, ut dii, quorum tutelae ea loca essent, auguriis legerent, qui nomen novae urbi daret, qui conditam imperio regeret, Palatum Romulus, Remus Aventinum ad inaugrandum templa capiunt.

### CAPUT VII.

Priori Remo augurium venisse fertur, sex vultures; jamque, nuntiato augurio, quum duplex numerus Romulo se-